



VITALE S
 MARIOPHI LORUM
 C I N E R E S
 I N A N N I V E R S A R I I S I N F E R I I S
 A L M A S O D A L I T A T E
 M A J O R I
 M A G N Æ M A T R I S V I R G I N I S
 a b A r c h - A n g e l o S a l u t a t æ

I n C æ s a r e o & A c a d e m i c o S o c i e t a t i s J E S U
 C o l l e g i o P r a g æ a d S. C l e m e n t e m
 e r e c t a & c o n f i r m a t a ,

*Piis DD. Sodaliũ Manibus Parentante,
 Funebri Panegyrico honorati.*

A R E V E R E N D O a c D O C T I S S I M O P A T R E
 P. J O A N N E R I N G E L H A N ,
 S o c : J E S U , A A . L L . & P h i l o s o p h i æ D o -
 c t o r e , & i n A l m a C æ s a r e a R e g i a q ; U n i v e r s : C a r o l o -
 F e r d i n a n d e a P r a g e n s i P h i l o s o p h i æ M o r a l i s P r o f e s s o r e
 R e g i o , P u b l i c o & O r d i n a r i o .

*In Academica Societatis JESU Basilica ad S. Salvatorem,
 Anno 1713. Mense Augusto die*



HONORI
ET
VENERATIONI
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC
DOMINI DOMINI
FERDINANDI
Ducis in Silesia Sagani,
Sac: Rom: Imp: Principis,
Regentis Domûs Lobkowicensis,
Principis Comitis in Sternstein,
Domini in Wertingen, Hohen-
reichen, Chlumetz & Raudnitz ad Albim,
Aurei Velleris Equitis, Sac: Cæs: Reg: Catholicæ
Majestatis Statum Consiliarii.



SERENISSIME
PRINCEPS
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

(a) Svetonius.



Um *Inferias annua religione* (a) Cineribus, pretiosis funerum reliquiis, adornamus ex foedere, non sine altioris providentiæ invento, Illi plenâ urnâ ad Gentilitios Serenissimæ Domûs Tuæ Campos seu Silesios, seu Elysios sese evolvunt, à Te, & fulgidissima Majorum tuorum gloria, & vitam, & lucem emendica-

dicaturi. *Hac iter Elysium* (b) Inter hæc Parentalia non fero cum Agrippina feralia unius Germanici ossaria, (c) non asporto cum Hecuba, inter gelidæ mortis funalia, unius Hectoris busta (d) *Sed quidquid hic cineris latet, scrutabor ore* (e) Patere has incineratæ Carnis reliquias, post perpeffa Mortis deliquia, Elysiis tuis in viridariis meridiari, indè *Cinerum bonos.* (f) Inter collapsa in mortem vitæ rudera Angelum tuum suspirant Gentilitium, à quo ab inferiis ad vitæ lætioris ferias manuducantur; siquidem Philosophi Magisterio, *Sidereus ignis principium vitæ est*; à trabibus, fortitudinis Lobkowitzianæ. Characteristicis, Atlantæum anhelant robur, ut in nova honori tuo columnina assurgant, quæ stent in tanti Nominis perenne monumentum; ab Aquilis denique *Summa Olympi* (g) petentibus, suis

(b) Virgil. Æneid. 6. v.

542.

(c) Tacitus ann. 2.

(d) Ovid. 13. Metap.

(e) Seneca in Troad.

(f) Martial. l. 1.

(g) Solinus l. 2.

renovari alis cupiunt Phoenices, ut è
pyra ad Empyreum, de funere ad vi-
tam valeant evolare. Sed quid fera-
les Umbras, & mutos Cineres hodie
in honoris tui argumentum assumit
Orator? damno hoc audentis consili-
um. Imò laudo; tui enim verò sunt,
imò jam debiti erant ipso argumento
hi Cineres; quantus enim illis acces-
sit Splendor, quando Confoederato-
rum numerum complevisti Serenif-
simus. Hinc confidentiùs ex urna in
lucem prodeunt, à Serenissimi Nomi-
nis tui jubare illustrandi, eò citiùs,
quò majus Serenissimæ Prosapiaæ tuæ
Sidus venerantur.

Jube loqui Tibi Sacratos Cineres,
O Serenissime sæculi nostri Erudite
Phoenix (utor elogio ante bina sæcu-
la Bohuslao de Lobkowitz conces-
so, hodie Tibi proprio: (b) Jube loqui,
qui

(b) Trithem
Germ. Abb.
Bened.

qui totus es Eloquentia, usitatas enim
Europæ linguas aut loqueris, aut in-
telligis; *ingenium quantacunque fortunæ ca-
pax* (i) facit domesticum Tibi Pindum,
& Minervam. Jube loqui! nihil au-
dies, quod tuum non esset; omnem
enim illam Virtutum supellectilem,
quam suspicies in singulis, in Te uno
vivere admiramur; *Hunc robur in armis,
hunc pietas, illum solertia juris, commendat;
Sed quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenes* (k)
Et en jam animati Te Phcebo illustri-
ore Cineres exclamant: *Hunc Superi ser-
vate Ducem.* (l) Et non sinè vano omi-
ne servaberis, quia Princeps es *avitis Vir-
tutibus similimus.* (m) Unum est, quod
rogo, si ad paginae hujus calcem, cui
Cineres inscribimus, nomen Sodalita-
tis Tibi obstrictissimæ legeris, illam
tuam esse crede, tuoque Nomini de-
votissimam, cui Nomen tuum pien-
tissi-

(i) Cornel.
Tacit.

(k) Claud.
de Stil.

(l) Mart.
l. ii.

(m) Vellejus
de Scip. æ-
mil. l. i.

(in) Statius
lib. 4. Sylv.

tissimè voluisti devovere, & indè *Ma-*
gnum Te manet Ordo sæculorum (n) à Matre
Viventium, Te manet maximorum
Principum ætas, quam ad avitæ Lob-
kowitzianæ domûs ornamentum ani-
mitus precatur

SERENITATI TUÆ

Devotissima
Sodalitas Latina Major B. V.
ab Arch-Angelo Sa-
lutata.

PA-



PANEGYRICUS.



[si] multò ante Oratoris mihi partes pro
hodiernis solemnibus ab humanitate tua dela-
tas nõssem Alma ab Arch-Angelo salutata Vir-
ginis Sodalitas : extemporalem in votis tibi fuisse con-
jèctarem encomiastem : tam impræmeditatum argu-
mentum fidebri hoc apparatu ingeris novissimo Pa-
negyristæ. Etsi enim non ignorarem infœcundæ meæ facundiæ officia
condecorandis anniversariis Sodalium tuorum expetita fuisse inferiis :
nunquam tamen in animum inducere potui, ut stylum & linguam con-
cinnando desiderari crederem epicedio, ubi sepulchrales urnæ, genitales
æmulantur cunas, & mortuales loculi cineres quidem oculunt, sed vi-
tales. Profectò Pythagoræ de metemphychofi somnia sunt mihi Del-
phis Vaticinia, & metamorpha Peligni commenta Vatis Tyburtinæ
oracula, dum exuviæ partheniæ, in Elysiun nuper deportatæ, orbem re-
perunt sublunarem, & felicioribus Ethesiis supra Empyreï Orbitas pro-
vehi Spiritus adhuc convivunt mortalitati. Emeritis Mariophilorum
Manibus ad illustrem hanc funalibus molem parentandum intellexe-
ram, & ideo præficæ munus deputaveram oculis, ut cum Cariæ Regina
lugerent fata : Pollinctorum officium designaveram manibus, ut pro de-
bito humanitatis obsequio urnæ sepulchrali odorem inspergerent Ara-
biam : nœnias mœstæ destinaveram linguæ, ut inter planctus acerbum
animi contestaretur dolorem : Sed quid funeris vel exanima inter sce-
leta eorum suspicarer in sarcophagis, quos non devotos modò plenæ
B gratia-

gratiarum Patronæ clientes veneror, sed filios adeò Matri viventium dilectos, sed sobolem Parenti vitæ suspicio adamatam.

Affurgit, fateor, inter hæc parentalia, pectus funebre, parietinæ spectantur decoloratæ, Muricis purpura degenerat in Umbras Sepiæ, vel ideo tristiores quòd liliorum byssus inferiis intermixtus suo condoleat candore, sed funus concelebrare nequeo, dum cineres animatos persentisco. Nunquid paradoxum loquor, dum in cinere vitam deprædico? Astra conscendenda furtivo gressu fuerant Prometheo, ut ex surrepto igniculo plasma animaret Damascenum. Parænesi opus erat prophetica, ut aridæ membrorum compages vitam induerent, & ex omnipotentis Virtute spiraculum resumerent; ingemiscere voluit incarnata Deitas, atque inter animi moerores turbare spiritum, antequam tabidum de tumulo revocaret cadaver: & vos Manes Parthenios in cinere dicam vivere absque prodigio, quibus funebria pridem persolvit pietas, epicedia ingeminavit observantia, parentalia instruxit grata memoria? Sed nescit me iudice privilegium Evæ novæ, quisquis parthenios Cætuum Marianorum contribules continuò mortuorum accenset Syllabo, quos posita cum mortalitatis exuviis vitæ Sandapilæ, tumulove infert libitina; usque adeò vetus illa Primi Adæ conjux, & filia à nova hac Adæ secundi Parente & Sponsa non solo temporum intervallo, sed vitalis præprimis uteri dissidet prærogativa: quippe cujus documentum ita ætati superiori dedit in primogenito ex mortuis, ut de adoptivorum Ejus Fratrum cineribus luculentum posteritati reliquerit argumentum, eos quoque fecundo suo foveri gremio, quos inevitabilis fati necessitas urna, concludit, aut capulo. Atque hoc est, quod me in certam adducit spem; fore, ut hodie nihil in lugubrem hanc structuræ funebris pompam, nihil in parentale hoc committam comitium, si prætermittis threnis, & naniis, vitalibus Mariophilorum cineribus in lessi mortualis vicem substituerò genethiacum, & verso in Cytharam luctu victoribus de libitinæ sceleto triumphale accinuerò Epicinium, ea potissimum mente, & Consilio, ut nemo non intelligat, quantum vitæ cum Univerforum Marianorum Cætuum umbris, tum præprimis Nobilissimi hujus, & celeberrimi Sodalitii partheniis Manibus, etiam post fata non modò in perenni posterorum memoria, sed in æternatura quoque Majorum gloria à Mariana superfit pietate.

Miro

Miro vinculata mens est humana fascino, quæ ob vitæ pretium aut perennare contendit in posteris, aut relictis mundo monumentis. Edicite, quæso, quid Romanorum jactantia quæsit in Amphitheatris, quid Ægypti Magnificentia in Colossis, quid Semiramis in pensilibus hortis, Rhodus in Phœbi simulacris, Ephesus in Dianæ Odeis, Babylon in porticibus Aulicis? certè nihil aliud, quàm Nominis ævum, & famæ perennitatem. Quia verò hoc vitæ desiderium erat vanitatis aucupium, in honorum umbris non aliam invenère, quàm fuliginosam Heroftrati æternitatem. Misèriarum chaos, quo genus involvitur Mortalium, vivendi movere posset fastidium, nisi radicans vitæ amor etiam infelicem Bajazethis caveam, duram egentis Codri fortem, perpetuum Carceris Squallorem haberet in deliciis, cum libitinæ jaculum à jugulo potest removeri. Vivere optastis Manes parthenii, cum meritis plenam Vitam exegistis; Naturæ tributum solvistis, cum spirare desiistis, sed vitæ novæ exordium auspicati estis, quia immortalis vivit post funera virtus. Vitam proinde in cinere lingua balbutiente prædico; Sed tantum abest, ut spiraculum illi adhalare cogitem, quod exaggeratis commentitorum facinorum laudibus, Semideis suis, & heroibus buccinatrix afflare laboravit Antiquitas, ut contra potiùs macilentam meam, exuecàmque Svadam vitali illo animandam, & adipandam confidam Spiritu, quem de Maternis Mariæ haustum Visceribus, æternitate dignis aluerunt meritis, quique etiamnum fatis superstes, in posthumis partheniarum virtutum spirat monumentis. Et in quot dicam, ac quantis? hæret enim verò attonita ad multitudinem ars Pythagorica, nec minùs insolitam eorum Magnitudinem elinguis obstupescit eloquentia: gaudet tamen simul in sinu utraque, & tacitè gestiens lætitià eam ætati suæ pietatis, virtutisque cultorum gratulatur frequentiam, quam infelix multorum retrolapsorum sæculorum sterilitas, vix votis æquare potuit, nedum censu, & calculis Algebræ complecti. Non cavillor venerandam ætatum superiorum vetustatem: non Sugillo lapsu temporum indalescentem majorum famam: suspicio spirantem adhuc ferratis in loricis æmulam Guilielminæ poenitentiam: cruentis inspinis geminam Benedictinæ Castimoniam; in exanguibus inedia vultibus supparem Macarianæ abstinentiam, in rudibus pannosisque amiculis clypeam Franciscorum humilitatem. Verùm, absit verbò jactantia, tot tantæque Virtutum

documenta nullum etiamnum ævo illo spectavit copiosius, quam quod foederata Mariophilorum agmina partheniis sub labaris videt auctori. Vellem hic Alma ab Archangelo Salutatae Virginis Sodalitas, vellem, inquam, Oratori hic tuo foret facultas, ita compendiarie narratione singula omnigenarum Virtutum decora ingenerandi animis, quemadmodum vastissimæ quæque Regiones, Spatiosissimi terrarum tractus Geographice beneficio angusta in tabula fidelibus subjiciuntur oculis; Spem equidem fore, ut non piam minus religiosissimarum Virtutum Scenam, quam illustre heroicorum facinorum intuerere theatrum, quod emerita consodalium tuorum pietas triumphantibus Mariophilis in Spectaculum, militantibus adornavit in hortamentum. Equidem spectandam hic objicerem voluntariam illam carnificinam, quæ tortores Spontanei flagris & uncinis in indomitam carnis pruriginem defævierunt. Objicerem Cruentos sanguine humeros, quorum purpurâ candori Virgineo consulere studuerunt. Objicerem pallidas fame, & siti arentes larvas, in quas sese subductis ultrò gulæ illecebris transformârunt. Objicerem extensas in sidera palmas, quibus gliscentem in præcordiis, pietatis favillam in publicam lucem produxerunt, propitium sibi, & Orbi Numen reddiderunt. Objicerem poenitentis animi gemitus, & lacrymas, quibus in nævis conscientiæ emaculandis vultum dolorosum irrigârunt. Objicerem Evcharisticum ardorem, quo sibi inter Mariana Solemnia in hac Basilica Panem Angelicum incorporârunt. Objicerem Zelum erga Matrem intemeratam, quò illam in publicis processibus supplices honorârunt. Objicerem altissimam humilitatem, & humillimam sublimitatem, quæ Orbis Magistri pressuri vestigia ad abluendas egentium Consodalium plantas quotannis sese abjecerunt. Objicerem profusam liberalitatem, quæ Eleemosynarii propè prodigi inopiam eorundem sublevârunt. Objicerem Munificentiam, quæ vel ex ultima voluntate aut congenito benefaciendi desiderio ararium Marianum locupletârunt. Objicerem ardentem charitatem, quæ migrantibus è mortalitate foederatis animabus hostiâ propitiatoriâ ad interminabilem gloriam aditum fecerunt. Quanquam, quid est, quod de Objiciendis cogitem, quæ dum ita in oculis versantur omnium, ut simul in animis, & ore circumferantur Universorum. Vestra posthumarum Virtutum appello monumenta Manes parthenii, qui ab anni unius curriculo vivis exempti tantò ni-

tò nihilominus vivitis amplius, quantò virtutis & pietatis vestrae decora, in recenti memoria vivunt augustius. Nihil nunc morti succenseo. Libitinae tyrannis migravit in amorem, furor in favorem, vulnus in salutem, funus in vitam. Stravit, ut levet, præcipitavit, ut erigat, in æternum clausit lumina somnum, ut evigilent ad æternitatis auroram. Hæ beatarum mentium nascendi est conditio, ut dum moriuntur, orientur dum pereunt, vivant; dum extinguuntur terræ, accendantur Olympo, imò inter cineres felicius vivat mundo virtutis meritum. Non raro sub Parrhasii velo latet Zevxidis prodigium, sub carnis velamine, Virtutis parientis portentum. Huc Mortis falcem! scindatur velum templi, Corporis nimirum emorientis, & revelabuntur Sancta Sanctorum Virtutis plasmanis arcana. Pollex gygantem, unguis Leonem, penna Tonantis Alitem, Umbra mortis manifestat Virtutem. Clepsydram dimittitur libitina mortalium annos, spiculo mensurat animos. Tumulatae occuluntur Mariophilorum Virtutes, donec fatalis Apelles in vitæ tela, telo ultimam ducens lineam, omnèque auferens temporis punctum, has ad vivum adumbret. Excutio urnas, lego cenotaphia, imò vitæ beatoris genethlia.

Cunabula proinde in Sarcophago tuo venerari mihi liceat Reverendissime, Illustrissime, ac Excellentissime Domine Domine Joannes Wenceslæ Wratislaw, S. R. I. Comes de Mitrowitz, Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Eques, per Bohemiam, Poloniam, Moraviam, Silesiam, Carinthiam, Carnioliam, Austriam, Styriam, & Tyrolim. Grand-Prior, Domine in Strakonitz, Oberlibich, Warwatzow, Ginetz, Maleschitz, Dirna, Zalesch, Sac: Cæs: Reg: Maj: actualis Intime Conferentiarum Consiliarie, Camerarie, & Supreme Regis Bohemiæ Cancellarie. Quem Divi Jacobi Thaumaturgi Hesperiae Apostoli Basilica Vetero-Pragæ, Ejusdem honori dicata anno præsentè in cimelion recepit. Cui threnos Lucani Vatis inscriberem, quibus Romanorum propè Numen deplbravit Pompejum: *Hoc tumulo fortuna jacet: nisi Regna & Imperia indefesso labore, & conamine reddidisses fortunata; quæ idcirco in gratitudinis Mnemosynon famam Nominis loquuntur immortalem.*

In lucem prodiit è domo Illustrissima,
Sed supra splendorem Natalium
Meritis refulsit splendidior.

A. teneris inter obscuros Lycæi parietes radiabat
Velut Stella Matutina :

Lux verò maturuit in Solem,
Quando in ejus sapientiæ Pharum Vertices coronati oculos conjecerunt.
Libravit prudenti Consilio Orbem Patrium,
Suprenus Regis Bohemiæ Cancellarius,
Disposuit omnia suaviter in bonum publicum,
In Regnis extraneis Cæsarum Legatus.
Succollavit Religiosum Statum
Militiæ Hierosolymitanæ S. Joannis Prior Magnus.
Vitam Salvificæ fidei in Silesia conservavit,
Dum Monarchæ Romani Commissarius
Litigantem hæresim,
Et à Septemtrione caput extollentem repressit.
Salutem procuravit subjectis populis,
Dum velut novum Palladium
Ab oppressione armorum
Provincias Austriacæ Domui hæreditarias præservavit.
Fortis inter bella,
Justus inter pacis Oleas,
Promptus ad Astræ vindicias.
Et ideo
Cæsarum solatium
Aularum fuerat delictum.
In cælibatu decurrit vitæ stadium,
Ut totus esset DEI Servus & Cæsaris Minister,
In regimine Politico
Vicarii Numinis .
Quid emolumenti ab obsequiis profluxerit in Joves Imperii,
Longa prædicabit posteritas,
Pro qua quidquid laboravit,
In ejusdem perennitatem lubenter egit.
Innocidua ejus fama est:
Tanti enim Alcidis Patriæ ætas
Est Nominis æternitas.

Igi-

Igitur quî
Orbem implevit meritis

*Unus erit Magno semper cantandus in Orbe. **

Vitales dum celeberrime cineres Viri publici, lucem post funera mereretur
publicam, privatam vitam potissimum vivere solitus Illustrissimus Dominus
Dominus Joannes Wenceslaus S. R. I. Comes de Sternberg, Hæreditarius
Dominus in Bohemico Sternberg, Divischow, Janowitz, & Wel-
trub, Fevdarius in Librofa, Leska, Reichers-Kreütz, Sarka: Sac: Cæs:
Reg: Maj: Actualis Camerarius, Consiliarius, nec non Incltyti Judiciî Pro-
vincialis Majoris in Regno Bohemiæ Assessor.

A Sancta Regum Triade

Descendit furculus Sternbergico-Holiczkianus.

Diceres pietatem Regiam,

Post sæculorum myriadas

In Mariophilo perennasse :

Ita pius in Numinis Majestatem,

Ita reverens in Dei Parentem.

Aurora ætatis Ei fuit probitatis exordium,

Virtutis Studium.

A Progenitorum nè deflecteret Sapientia ,

Hujus sementem jecit in scientiarum Athenæis.

Eruditus omnigenâ doctrinâ,

Omnes rapuit in admirationem.

Literarum Oceanum in Musophilo arctatum vidisses,

Ita Ædipo felicius

Theologiæ mysteria,

Politiciæ dictamina,

Juris prudentiæ arcana,

Philosophiæ Ænigmata

Enodavit.

Dignus qui in honorum locaretur fastigio,

Suspiceretur à Regno,

Nisi Umbriam vitæ solitariæ

Dignitatum montibus prælegisset.

Claruit quidem Assessoris munere in Majori Provinciali Judiciio,

** Petrarch. l. 2.*

Sed

Sed altiores dignitatum gradus conscendere
 Nunquam in votis habuit,
 Ad magna genitus,
 Et ex animi demissione sublimis.
 Æquipondium justitiæ tenuit,
 Tesseram in verbo & opere circumtulit,
 Quam Cordis abyfso immerfam habuit,
 Et nunquam non prædicavit:
Justitia Sancla Magnum Conscientia mea fulcrum.
 Patetnum affectum exhibuit subditis,
 Beneficia ingessit extraneis,
 Misericordiam ostendit oppressis,
 Benevolentiam delicto obnoxiiis.
 In ætate florente Martem secutus,
 Noluit auro ferrum emere,
 Sed tyrocinium gregarii subire,
 Et vigilias inter altum dormientes celebrare.
 Verum nescit herous animus inter vulgi tenebras latere,
 Emergit serenior,
 Quam Solis claritas
 Post dimensum hemisphærium Antipodarum.
 Mavortiiis pectoribus præfuit Centurio,
 Paratus pro Principe
 Sanguinem fundere,
 Et Vitam ponere:
 Nisi Paterno imperio se consecrasset Victimam
 Bonorum hæres designatus,
 Atque ex nutu Obedientiæ,
 Pro sago
 Togam resumpsisset.
 Patrimonium ut possideret justè, & pacificè,
 Magis Deo,
 Quam sibi voluit thesaurizare.
 Bona non dissipavit cum Villico Evangelico,
 Sed indemniam Servavit,

Pro

Pro successorum Solatio.
 Quis dicet Eum satis concessisse,
 Quem tanta Virtutum documenta
 Reddidere immortalem.
 Fulsit à fiderè scuti Gentilitii,
 Cùm conviveret mortalitati:
 Sed soboles est hodie fulgentior Stellis,
 Cùm Cælum scrutatur in alto,
 Cognatumque sequens corpus se quærit,
 Imò invenit in astris.

Erga munus habe calum, calo Spectabere fidus *

In perpetuas æternitates.

Inter Vatum Enthusiasmos olim vitam lapides assumpsere,
 quando - - - - - *Saxa*

Missæ viri manibus faciem traxere virorum,

Et de samine reparata est femina jactu. **

Sed quis commento fidem adhibeat? dum

Lapides pro loculo suo

Conterit in Cineres,

Inimica mortalibus Libitina.

Miscet illa gemmas filicibus,

Carbones Sardiis, ligones Sceptris, trabeas lacernis,

Hunc cumulum infert tumulo,

In tumulo succendit pyram,

Pyram redigit in Cineres,

Decalvata Tyrannis.

Pretiosus lapis erat.

Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus Dominus Joannes Fridericus S. R. J. Comes ab Herberstein, L. B. de & in Neuburg & Guttenhaag, Dominus in Lankowitz, Graffenorth, Arnsdorff, Altwaltersdorff, & Rengersdorff, &c. Hæreditarius Camerarius & Dapifer Ducatus Carinthiæ, nec non Sac: Cæs: Reg: Maj: Actualis Intimus Consiliarius & Camerarius.

Lapis hic dum fulgeret optimè,

Lugubri funestatus est umbra,

* *Luca. l. 1.* ** *Ovid. 1. Metamorph.*

C

Illu:

Illustrissimus Patriæ pyropus
Obscuratus est,
Factus sibi ipsi marmor sepulchrale.
Et hæc larvatæ mortis est licentia.

Huc fama!
Lapidi insculpe elogium:
Imò dextram retrahere!

Erro!

Ex ultima voluntate sibi vetuit scribi elogium

Numa Illustrissimus,
Hoc elogiorum omnium est. elogium,
Encomiorum est compendium.
Sile fama! & ego tacebo.

Nihil edicam:

Pygmæa enim laudibus tuis est hora;

Joannes Friderice Illustrissime.

Qui annis, quibus vixisti,
Cum Polluce sæcula explevisti.

Nihil dicam:

Habuit in Illustrissimo Comite
Glacensis Comitatus Atlantem,

Amantissimum suum subditi venerabantur Patrem,
Munificentissimum Mariani Coetus suspiciebant Benefactorem,
Musæ mansuetiores in theatro prædicabant Mecænatem.

Nihil dicam:

At argentea Panegyristen agit DEIparæ Statua,
Quam Congregationi Latinæ Glacii statuit in ornamentum,
Compluribus annis dignissimus Rector.

Munificam prædicant pietatem,
Gratiosa Magnæ Dei Matris, S. Xaverii, S. Antonii, S. Barbaræ Sacella

Quæ in Arce Graffenorth erexit,
Et insignibus è Vaticano impetratis indulgentiis ditavit,
Ad teneræ devotionis incitamentum.

En lapidem egit,
Cui tanta Deo & cælestibus sacra inniterentur domicilia.

At

At immaturi fati consilio lapis hic contritus
Libitinæ ferientis pede

Pauperum tabernas, Regumque turrès.
Illustrissimæ familiæ & nostris evanuit oculis.
In illustrissimorum Cognatorum corona obiit

Exemplaritet contritus,
Dignus cælesti Coronâ.
Cujus illustrati Cineres
Sanctorum Splendoribus
Post funera vivunt.

De quibus hoc dico, & aliud nihil dixi.

Montium est privilegium, ut primò Phœbi orientis illuminentur
radiò, depingantur occumbentis ultimò. Lucentis tandem inumbratur
fastigii gloria, cum Sol favore luminis recreat hemisphærium alterum.
Similem Umbrarum ferruginem dolorosè luget Mons S. Caroli Pragenæ
Metropolis, postquam Reverendissimus, Perillustris, ac Amplissimus Do-
minus Joannes Wenceslaus Luniak, Sacri Ordinis Canonorum Regu-
larium Lateranensium S. Augustini, in Canoniam B. V. in cælos Assumptæ,
ad S. Carolum Magnum Neo-Pragæ Abbas, Sac. Cæs. Reg. Maj. Consi-
liarius, & Serenissimi Bohemiæ Regis Eleemosynarius Perpetuus, morta-
lia lumina clausit.

Ergone etiam abortiunt in tenebras

Conspicua mundo luminaria?

Hoc ferale atræ mortis est stratagema,
Sternit illa Cedrinæ, cælo æmulas, pyramides,

Ut abeant in pulverem

Frigido hoc Vespillone.

Rigent in Statuas vivacissima mortalium prodigia,

Ut diffluant in tabum.

Sic statutum est,

Universæ Carnis Canon est:

Moriendum.

Legit hunc Canonem non sinè lacrymis Canoniam Carloviensis,

Facta pupilla.

Huc oculi!

C 2

Paren-

Parentandum est magno Præfuli:
Quanta in hoc nomine Orbitatis cognomina!
Parcite! hic aliquid dandum est mœrori!
Dum inter atrata Lateranensium Odeæ,
Inter pullata Regularium Sacraria,
Pro Patre, Abbate, Antistite,
Mœstus luget Canoniorum Chorus,
Fundit epicedia.

Hinc Aula Carolina amantissimum deslet Præsulem,
Isthinc Inferior Ingelsheimensis Provincia Visitatorem.
Magnum hic Ordinis Canonici occidit lumen,
Cui Urnæ fatalis uterum aperuit
Dies Aprilis vigesima nona.

Post completum ætatis Septuagesimum secundum,
Post consummatum Abbatialis Regiminis vigesimum septimum annum.

O annum animæ, non sine omine,
Annum tæque quatæque secundum!
Dies in hebdomade septimus,
Magnam mundi nascentis genesim,
Placida Sabbathi requie terminavit.

*Requievit arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armenia.**

Habet post septem, secundam Sabbathi requiem,
Dum in Montibus Carolinis quiescit
Indefessus Præsul,

Antistes nunquam otiosus.

En consummatæ beatitudinis Vaticinium,
Inscribe Sarcophago Apelles:

Nulla dies sine linea:

Donec illum, rerum omnium linea terminaret in puncto,
Spiculum libitinæ.

Jacet nunc dignitatis Abbatialis speculum,
Eclipsatum temporanæ mortis umbrâ,
Illustratum Vitæ perennis luce.

Quiescit!

Consummatâ gloriosâ laboris periodo,

* *Genes. 8.*

Post-

Postquam pro Reipublicæ ornamento
Sac: Cæsar: Regiæq; Majestatis Sapientissimus-Consiliarius,
In publicis quorundam negotiis Regni Bohemiæ æquissimus Commissarius,
Prælatus ac perpetuus refulsit Eleemosynarius.
Stetit pro Dei Gloria,
Et Ecclesiæ, nec non Canonici Ordinis incremento
Zelotes Aurelianus.

Magni Augustini Institutum Tyrones docuit exemplaris Magister,
Verbum Divinum tum in Canonica, tum ad S. Stephanum Majorem
Proposuit Zelosus Prædicator,

Nec obfuit Kamenicensis Decanatus,

Quin svada Sacratiore è rostris DEO encomia decantaret.

Præfuit illius Zelo Apostolico S. Thomas,

Magnus Indiarum Apostolus,

Dum Sacra ejus luce,

Feliciores Lucina Comite,

Prima neo-nato stravit cunabula Anno 1639.

Et eadem die condecoravit pedo, & tiarâ Anno 1684.

Adepti Virtute Præsulei honores non mutarunt mores,

Ideam exemplaris Antistitis semper expressit.

Omnem lapidem movit, ut Canoniam Lateranensi Congregationi reuniret.

In publicis Tripolis Pragenæ supplicationibus

Deo supplex comparuit indefessus.

Hospites tum Regulares, tum Sæculares

Excepit benevolus.

Reditus Canonice auxit Magnificus.

Post hæc omnia

Stat ad intemeratæ DEI paræ honorem,

Et Theandricæ ejusdem filix gloriam

Domus Sancta Bethleemica

Indulgentiarum thesauro conspicua.

Pro qua prudens Architectus,

Lapidem fundamentalem

Posuit in titulum,

Lateranensibus in perenne Nominis monumentum.

C 3

Et en

Et en lapidi incumbit scala Sancta.
Desine inpergere cineribus lacrymas Lateranensis Canonica!

Scala cælum tangit,
Hac dives meritis Præful ivit,
Et Matre viventium duce è terris abivit,
Non obivit, Cælo semper victurus.
Vivit Deo Placentinus Cliens,
Heros in abyssalia Numinis decreta resignatus:
Nam inter dolorosi morbi Symptomata,
Familiari usus est gnoma:

Sicut DEO placet.

Qui * Monti Dominabatur pacis, in eo non reperit Civitatem refugii, quò
minus ferale libitinæ subiceretur falci.

Surge Nobilioris famæ interpret historia,
Dis rta Heroum Minerva!
Inscribe Cedris, quod exuccum Sceleton inculpfit Cupressis,
Ea ætatis postera factis Candido, infere calamo,
Quæ sepiæ admixto Cinere mors atro notavit calculo.

Inscribe:

Hic jacet;

Imò stat æternitati

Perillustis, Generosus, ac Clarissimus Dominus Joannes Wolffgan-
gus Eques de Ebelin, Dominus in Fridberg, J. U. Doctor, Sac. Cæs. Maj:
ad Aulico-Bohemicam Cancellariam Consiliarius & Referendarius.

Qui à teneris Sapientia & Virtutis ingressus est Appiam,
Comite ingenii alacritate, innata agendi gratia,
Nunquam extra Orbitam ivit,

Semper gloriosus.

Hinc in Alma Universitate Carolo-Ferdinanda
Sapientia suffragio,

Ad Clarissimorum levatus subsellia,

Eminuit juratus pro bono publico Advocatus.

Deinceps faventibus Aquilarum Cæsarearum remigiis
Evolavit altius,

Quando Regii Areopagi, & Appellationum Assessor,

* Dom: in Fridberg.

Justi

Justi & æqui tenax, sapiens auditus est Arcopagita,
Justitia Cultor, rigidi servator honesti. *
Quoties in maximis Patriæ negotiis visus est Commissarius?
Missus, maximi momenti erotemata justa libravit lance,
In Magni Justiniani jura juratus Justitiarius.
Unus veluti ad publicæ æquitatis negotia electus,
Ad Legis Divinæ & humanæ amussim
Patriæ pressæ sustinuit pondus
Atlas longè felicior.

Hæc omnia

Amica literatis Fama,

Gloriosâ tubâ retulit Cæsarum Aulæ,
Hinc audivit Consiliarius & Referendarius;
Sinè fūco Orator Germanus.

Sic per cunabula quedam, & elementa Virtutis,

Procedente tempore

Ad gloria cumulum pervenitur. **

Majora Delphicis Oracula

In Augustissimi Imperatoris, CAROLI VI. gloriosa Coronatione
Obstupuit Francofurtum.

Tunc probavit Sapientiam,

Ostendit ingenium,

Exeruit facundiam,

Ad Tullii invidiam.

Pressos Consilio & Auxilio levavit,

Dubios Ariadnæo Sapientia filo beneduxit,

Quia benedixit.

Alexandrino labore innodata causarum momenta evolvit,

Nunquam proprio emolumento involutus.

Sapienti industriae lampade, obscura in civilibus illustravit,

Quia omnigenâ inclaruit literaturâ.

Verbò: benefacere non destitit,

Nisi dum vivere desit,

Et ut felix dixit,

Sic humilis, tranquillus, liberalis,

* *Lucan. Pharsal.* ** *Svetonius in Vita Titi Vespas. c. 3.*

Integer

Integer vitæ, scelerisque purus vixit,
Donec ori Diserto imponeret digitum
Mors silentiaria.

Quidquid fecit, immortale fuit,
Mortale egit nihil, nisi quod mortuus est.
Matrem Divini Verbi coluit Cliens integerrimus,
Cætui parthenio legatum consignavit Benefactor munificus,
Dignus qui perennaret in terris,
Nunc Aulæ Cælestis Incola
VERBI gratiâ.

Denique scipionis Æmiliani inscribo elogium
Joanni Wolffgango :

*Nihil in Vita, nisi laudandum, aut egit, aut dixit, aut fecit. **

Cui Virtus domestica, huic felix Arabia, est conterranea, tam bene nimirum olet probitas florigera: thymiamatis tamen Svaveolentiâ est fragrantior, qui à Mariana redolet rosa.

*Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est, ***

Perillustris, Generose, ac Clarissime D. Felix Wenceslæ Had de Proscæze, J. U. Doctor, Sac: Cæs: Reg: Maj: & Regiæ Cameræ Bohemicæ Consiliarie, nec non in Inclyto Bohemiæ Regno Procurator Regie, Congregationis Nostræ Vice-Rector Emerite, ejusdemque tum aliàs, tum ex ultima voluntate Benefactor. Ex posthumo enim laudum Syllabo intelligere mihi licuit, te à primis unguiculis ad ultimum usque vitæ mortalis halitum, vivacissima pietate, & summo constantiæ fervore Pæstum coluisse Marianum.

Memmonis simulacro facundior
In dies singulos DEIparæ
Cum Caduceatore Aligéro dixit Ave,
Dum vixit.

Coronam contexit in ætatis Vere,
Sed igniculos amoris subjecit Mariano,
Et Psalter effectus in vitæ hyeme,
Psalterium parthenium quotidie decantavit.
Inter officia publica, quæ gessit,
Officiosus Regiæ Coelicæ,

** Pellejum l. 1. de scip. Æmil. ** Mart. l. 13.*

Nescio

Nescio an Aulicus,
An Servus?

Intentus in Officia Dominæ;
Accuratus in obsequio Regiæ.
Suum domicilium instruxit Odeum,
Quia incarnati præsentia Numinis,
Quod in cubili ab impetrata venia
Salutaris offerebatur hostia;
Cum acerbi dolores vexabant corpusculum,
Consecravit in Sacrarium.
Mira felicitas!
Et Reginam Cælicam,
Et divinum Regiæ filium habere inquilinum.
Non miror illum tam rigidum operum suorum fuisse Censorem,
Qui oculos semper habuit ad Dominum.
Quotidianas consignavit ephemerides,
Virtutum & nævorum,
Ut ex eorum calculo & censura;
Fragilitatem humanam propè redderet inconcussam,
Atque ex imperio Rationis
Indomitas frænaret passiones.
Dicerem Eum vixisse in Corpore,
Quasi extra Corpus,
Nisi virtutum celebrarem merita,
Et promerita vitæ interminabilis præmia.
Verùm qui totus erat Numinis ex observato Decalogo,
Etiam operam suam commodare debuit bono publico
Ex Majestatis Cæsareæ Decreto.
Præfectus Montium nominatus viniferorum,
Nè munus sterile sceret lapsu temporis,
Manum ad consignandam regulam admovit;
Jura & privilegia patrio idioma digessit.
Decumano labore successoribus laudabile præcurasset otium,
Nisi luce volumen dignissimum,
Ex Tripolis Pragenæ incendio,

D

In fu-

In fumum abivisset.
 Est tamen in pretio conamen omnibus,
 Qui virum semper videre negotiosum.
 Auspicatus Officium Fisci Regii,
 A fraude vindicavit ærarium,
 Injurias præcavit litigantium.
 Justitiæ Zelotes ad trutinam dispexit omnia,
 Ut à reatu foret immunis.
 Contempsit munera, ab impia manu oblata,
 Nè Themidis cæcitas apprehendendo collyrium,
 Et inspiciendo peculium,
 Ingereret fascinum,
 Quo Patrem Astræ exueret,
 Vitricum indueret.
 Reprehendit idcirco hominis iniqui perfidiam,
 Sacrilegè jactitantis,
 Moderno sæculo conscientiam, esse vocem barbaram.
 Nunquam humanitatem exiit,
 Nisi postquam infertus Cælo,
 Vitam vivit Angelicam.
 Pientissima Ejus Memoria,
 Simul Almæ Sodahitæ erit perpetua,
 Cujus ærarium ex voluntate ultima liberali auxit donario.
 Perennat inter Cineres, & Virtutes adeò nobiles,
 Et qui bene meritus est de Patria,
 In animis omnium vivit post fata.
 Fragrantiam Marianarum Rosarum multiplicat Cornucopiæ illu-
 strium Virtutum Perillustri, ac Generosi Domini Wenceslai Rudolphi
 Haugwitz, S. R. I. Equitis de Biskupitz, Domini in Brzezowitz & Stank-
 witz, Regii per Districtum Chrudimensem Capitanei.
 Erat Illustri Sanguine,
 Illustrior Virtute,
 Hujus Semitam ingressus ab Annorum infantia,
 Nunquam exorbitavit.
 Sanguinis Claritatem ornavit literis,

Ut

Ut bis Nobilis esset.
 Utramque tantis provexit incrementis,
 Quæ nec Cæsarem laterent,
 Sac: Cæs: Reg: Maj: in Districtu Chrudimensi,
 Per annos viginti quinque Capitaneus.
 Justitiæ Arbiter extitit incorruptus,
 Sagacis Vir prudentiæ,
 Pro bono publico cura pervigili excubabat,
 Ut Patrem se præberet subjectis,
 Benignus erga omnes,
 Benignior erga miseros.
 Nemo ab illo rejectus,
 Nemo acerbitatem questus,
 Etiam illis amabilis, quos aliquando plectebat.
 Opiosam jecit sementem elemosynæ in manus pauperum,
 Ut gloriæ Cælestis legeret manipulos.
 Sodalis Magnæ Matris,
 Sacramentum, quod dixerat, religiosè custodiens,
 Laudabili suis præluxit exemplo,
 Cultûs Mariani Promotor eximius.
 Placere coepit æternitati,
 Qui tempori semper placuerat.
 Ea Morte obiit,
 Quæ vitæ initium daret æternæ.
 Wenceslainæ pietati, comitatu Stipatæ Angelico in Principum
 Synedrio assurrexit Majestas Cæsarea, * reverita Principis pientissimi
 Sanctitatem. Buccinatrix laudum fama Oratorem evocat, ut vitam
 inter cineres meritis plenam in altum extollat, tibi que in Veneratio-
 nis testimonium assurgat Perillustri, ac Generose Domine Wenceslae
 Antoni Auderczky de Audercze, Domine in Klomin, Sac: Cæs: Reg:
 Maj: Districtûs Curimensis Capitaneæ Regie, nec non Incltyti Judici
 Provincialis Majoris in Regno Bohemiæ Assessor.
 Vitæ intaminatæ terminus,
 Est laudum principium,
 Agonis lectulus,

* In vita S. Wenceslai.

D 2

Omn-

Omnigenæ Virtutis theatrum.
 Ad nuntium mortis,
 Vitæ necisque Domino,
 Obedientem inclinavit verticem,
 Divinum reveritus imperium.
 Viam ingressus universæ carnis
 Sacro delibutus Athletarum oleo,
 Roboratus pane Angelico.
 Contracta ex quotidianis justorum Casibus debita exolvit,
 Antequam ad reddendas vocaretur rationes,
 Eleemosynis redimendo peccatorum reatum.
 Subitorum debita, quibus obligabantur Cæsari,
 In partem hæreditariam suis transcripsit posteris,
 Ut justus migraret è vita mortali,
 Et Sanctus ingrederetur Cætum Sanctorum.
 Sexcenta edidit sanctitatis Specimina,
 Cùm aura frueretur elementari.
 In auras nè abiret lytrum animarum,
 Quibus præfuit, nescio, an Dominus, an Pater?
 In Societatem curæ vocavit Magistros Spiritus,
 Dum festorum Solemnis rostrâ per Ecclesiastas animavit,
 Ut edoctus Auditor de Fidei Mysterijs,
 Justitiæ Semitam ardentius decurreret,
 Ipse efficacior Orator exemplo, quàm Tullius Verbo,
 Quia verbum Dei nunquam non avida excepit aure.
 Intricatus negotiorum labyrintho,
 Indefessum ab Oratione spiritum nunquam remisit,
 Imò cum dies deficeret,
 Erat pernoctans in Oratione DEI.
 Prociduus coram Numine
 Absque tædio,
 Horas exegit integras,
 Et quale fuit situs auspiciis complementum.
 Stimulos ut adderet pietati fidelium,
 Ad mensam Eucharisticam,

Atque

Atque Exomologesim invitavit Sinceram,
 Impetratis à Christi Vicario Indulgentiarum thesauris,
 Pro diebus Indigetum festivis.

Solatium dum devotis procuravit animis,
 Prodesse studuit etiam corporibus ægrotis,
 Tam scitè consilio & medicamine languentes adjuvit.
 Æsculapium dicere volui,

Nisi Elogiastæ penna magnum nominasset Justinianum.

Multa à Magnatibus consecutus encomia,
 Postquam æquum in Muneris functione arbitrum,
 Districtus Curimensis egisset Capitaneum.
 Mortem aiebat potius se velle oppetere,
 Quàm justitiæ trutinam in transversum agere,
 Aut injuriâ quemquam afficere.

Concordia domestica,

Erga Viros DEO Sacros reverentia,
 Compositio Oris & Corporis in Ecclesia
 (pro qua precariò institit etiam apud honoratos,
 Nè Oratorium abiret in forensè domicilium)
 Amplum panegyrico suggerunt catalogum,

Sed stringo in nuce Iliadem,

Dum illum prædico

Christianæ perfectionis Epitomen.

Non' fabulam, sed Naturæ historiam, Vates dicam scripsisse, qui Par-
 carum exaggeravère, ferociam,

Lanificas nulli tres exorare puellas

*Contigit, observant, quem statuere diem. **

Etiam Prænobili, Generoso, ac Excellentissimo Domino Joanni
 Casparo Voigt, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, in Celeberrima U-
 niversitate Carolo-Ferdinandea Pragensi ejusdem Medicinæ Institutio-
 num Professore Regio, Publico, ac Ordinario, Sac: Aulæ Lateranensis &
 Aulæ Apostolicæ Comiti, Auratæ Militiæ Equiti

Fatalis Dea

Vitæ filum est ausa rescindere,

Qui indefesso studio plurimis protelavit.

* *Martial. l. 1.*

D 3

Invi-

Invidit Virum æternitas tempori,
Cujus in Prægena Tripoli Nomen perennabit.
Institutionum Medicarum in Universitate Carolo-Ferdinandea
Professor Regius, Publicus, ac Ordinarius,
Supremo Scholarium animos instituit aphorismo :
Morimur tempori, nascimur æternitati,
Inclytæ Facultatis Medicæ non tantum Decanus,
Sed totius quoque Celeberrimæ Universitatis
Rector quondam Magnificus.
Ita commissas sibi administravit Provincias,
Ut Præsides ageret aliorum,
Sed præprimis sui.

Aurata militiæ Eques,
Cælum Dives ingressus est,
Quod armis aureis expugnavit.
Res suas per manus pauperum præmisit ad æternitatem,
Ibi futurus locuples,
Ubi nullus est pauper.

Irata vindictam in illo quasi Libitina,
Cui tot eripuit illustres prædas,
Etiam dum communi Clade Triurbem afficeret,
Sed incassum !
Ereptus est oculis,
Vivit in animis.

Nempe :
Quam probatissima medendi arte
Nequit Corporibus,
Suis attulit Cineribus
Immortalitatem.

Linguarum Apostolicarum Vita Divinus Spiritus, Eorum simu
est nobilissima Vitæ portio, qui rostra fervido consueverunt animare ze
lo. Verum

Qui ad Herculis Gallicani invidiam,
Aureâ eloquii catenâ,
Auditorum animos sibi devinxit
Disertus Verbi Salvifici Præco,

Jam à morte vinculus obmutescit
Admodum Reverendus, Religiosus, ac Venerabilis in Christo
Pater Cyrillus Fromm,
Sacri, Candidissimi ac Exempti Ordinis Præmonstratensium
Montis Sion Canonicus Regularis,
Major omni exceptione Orator,
Vir de cœtu Candidissimo meritissimus.
Erat ignitum eloquium Ejus;
Tribus & viginti annis prædicavit *JESUM*,
Judæis aliàs scandalum,
Gentibus autem Stultitiam,
Eo Apostolico fænore,
Ut Luthero animas Sexaginta novem,
Calvino duas,
Judæis quinque ereptas,
Orthodoxæ Ecclesiæ consignaverit
Annulo piscatoris,
Piscator Apostolicus,
Zelotes Norbertinus.
Bis stetit pro rostris hinc Marianis
Confœderatorum Panegyristes,
Semel *Cursus ad bravium*
Vice altera: *recursus ad circini punctum Consummati*
Hypotyposim exhibuit.
Disertè pervasit
Etiam pro domo sua,
Potens in Verbo,
Potentior in exemplo.
Sed jam Candidissimo Arpinati,
Atræ mortis fatale decretum,
Altum indixit silentium.
Stetit in Cursu, & recursu Stadiodromum
Livescentis fati impetus,
Fatale Libitinæ brachium.

Jam

Non

Non plus ultra !
 Stringo Viri præconia ,
 In animo concolorem Candidissimæ Religioni Candorem ,
 Lacteus præsetulit Nazaræus ,
 In moribus comitatem Sionæus ,
 Difertus in sermone gratiam Cyrillus ,
 Virtute obtinuit.
 Jam cursu vitæ consummato ,
 Post agonem Felix ,
 In olympiis tenet olympum ,
 In perenne bravium.
 Ex Odeo delabor in Athenæum , de Cathedra Ecclesiastica ad
 Exedram digredior Scholasticam , in qua
 Purpuræ aspergere Cinerem ,
 Non erubescit
 Pallida Libitinæ vola.
*O infelicem pollincturam ! **
 Operitur Mortis caligine
 Lux Universitatis Pragenæ
 Reverendus, Religiosus, ac Eximius Pater [Martinus Ullmann,
 è Societate JESU SS. Theologiæ Doctor, Eiusdemque Societatis Pon-
 tificio-Cæsarei Alumnorum Collegii ad S. Bartholomæum Vetero-
 Pragæ Regens, Almæ Sodalitatis Nostræ Præses emeritus.
 Huic Viro omni literatura conspicuo
*Virtus sepulchrum condidit. ***
 An illa, an Sapientia
 Fuerit in illo major,
 Æternitatis librent fasti.
 A teneris ungviculis cerebro ferre affvevit Palladem,
 In ætate provectiore ominuit
 Subtilis Philosophus,
 Eximius Theologus,
 Aliis esse videbatur omnia,
 Sibi nihil.

* Plutarch in probl. ** Horat. lib Epod. od. 9.

Vir

Vir sine fastu Splendebat in purpura,
 Sine phaleris Academicus Cicero videbatur in Ambona,
 Sine bile in Pontificio & Cæsareo Convictorum Collegio,
 Amore & timore
 Pater & Regens.
 Suspiciebatur ab omnibus,
 Sine toedio Præsidii Mariani munereungebatur Parthenius,
 Confœderatorum manibus
 Vitæ felicioris Genethlia
 Difertè ex hoc Suggestu precatu est Orator.
Præter vestimentum, quo tegebatur,
*Habuit nihil. **
 Prodesse tamen contendit Omnibus,
 Obesse nemini,
 Nec labore victus,
 Nec morte vincendus,
 Nec mori timuit,
 Nec vivere recusavit.
 Non erubescite modesti manes,
 Unum adhuc de Viro liceat dicere:
Omnis, cui Virtus contigit,
*Unus erat. ***
 Hinc adhuc populo necessarius,
 Sed Pater suos deseruit,
 Desolatos reliquit.
 Imò Consolationis transcripsit materiem,
 Dum Regiâ Divi Martini viâ,
 In vita pauper & modicus,
 Coelum Dives ingreditur.
 Debita nunc præcipit observantia, etiam tui memoriam Reve-
 rende, ac Religiosè Pater Maximiliane Formanek, è Societate JESU,
 ejusdemque Societatis Seminarii Brunæ Regens, uno quidem titulo,
 quo mihi balbutienti ad hunc Suggestum prævistis Orator facundissi-
 mus, altero verò, quo primus Mariani Fœderis stetit pro rostris Enco-
 miastes
 E

* In Vita S. Martini. ** Ovid. de Consol. ad Liviam.

miaſtes paræneticus. Novi, Fateor, Confodales tuos uberrimam operum Cœlo dignorum efflagitare notitiam, ſed ſexcenta Virtutum tuarum prætereo prodigia, nè religioſam in-Cineribus offendam mo-deſtiam, quæ inter domesticos vix celebrari ſe patitur cancellos. Sed Viri Religioſiſſimi Virtutes, dum aſtra duntaxat legunt, in terra veſtrum fas eſt legi virtutis meritum

Admodum Reverende, Doctiſſime, Præcellens, ac Venerabilis Domine Paule Wenceslæ Bernaſch, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, SS. Theologiæ Baccalaree Formate, Chraſtenſium Decane emerite.

Admodum Reverende, ac Venerabilis Domine Franciſcæ Vite Bek, Rokiczanenſium quondam Decane.

Admodum Reverende Domine Joannes Piller, Zahorzanenſium Curate.

Prænobilis ac Generoſe Domine Wenceslæ Maximiliane Zdiarſky de Kozmaczow, Sac. Cæſ. Reg. Maj. Cancellariæ Aulico - Bo-hemiciæ Taxator, nec non expeditionis Bohemiciæ Regiſtrator.

Prænobilis ac Generoſe Domine Joannes Georgi Hainſch, Regiæ Urbis Neo-Pragenſis Civis.

Illud enim non ſuſtinet obvolvi, quod *Sideris inſtar enituit*. * De hoc, cùm amplam contexere proſam mēditōr, unam fere ex-tollere cogor Munificentiam, quā, aut viventes, aut occumbentes Almam Sodalitatem nunquam non Vobis feciſtis veſtigalem. Inex-hauſtæ liberalitati Eſſenſiſſimo integerrimo affectu inſcribo, & vi-tam Cineribus Veſtris adhalo, quā perennaturi eſtis in Mecænatum Catalogo.

Haſtenus in celebrandis Sodalium tuorum Vitā functorum
Virtu-

* *Claud. de bello Getico.*

Virtutibus ſeſe occupavit Oratio Alma ab Arch-Angelo Salutata Virginis Sodalitas, decurrens nunc clepsydræ arena admonet, ut in-ter poſthumos tantorum decorum Cineres ſenſim expiret: Si ta-men expirare poteſt, quam vitali ſuo frigore non minùs animā-runt, quam calore. Vitæ documenta dedere Manes Parthenii in Virtutum encyclopedia, cujus hypotypoſim, ſi non eſt affecutus panegyricus, ecſtaſim paſſum fuiſſe cogita ob meritorum excellenti-am, cujus prærogativa eſt, inumbrare plerumque privilegia Vitæ, de quibus perpauca

D I X I.

